



THEOLOGIÆ
 PROPHETICÆ
 PARS SECUNDA,

EXHIBENS
 POLITIAM ECCLESIASTICAM

CAP. I.

De fine Politia ecclesiastica.

PRÆCEPTA.



Politia ecclesiastica tradit modum constituendi ordinem externum in ecclesia.

Estque generalis, vel specialis.

Politia ecclesiastica generalis tradit modum ordinis ecclesiastici in genere.

Eius partes sunt tres: prima de fine, secunda de subiecto, tertia de mediis ad illum finem perducentibus.

Finis politia ecclesiastica est internus vel externus.

Finis internus est tradere modum bene constituendi ordinem externum in ecclesia.

Finis externus est constitutio & propagatio regni Christi in his terris per ordinem externum in ecclesia visibili.

REGVLÆ.

I. Politia vocabulum hoc loco significat externum regimen ciuitatis Dei, quæ est ecclesia.

Vox politia ecclesiastica explicata.

Politia apud Græcos scriptores significat hæc tria. Primo est administratio seu regimen reip. & ciuitatis. Hinc ab Aristotele πολιτεία dicitur πείρις πόλεως, & βίη τῆς πόλεως. Deinde politia est idem quod respublica seu reip. status. Quo sensu Aristoteles in politicis tradit τελεία εἰς αἰσθητὴν τῆς πολι-

Zzzzz

τεία